

sed cuivis quamvis potius succumbere par est,
quam matrem fratres . . . ex patruo.

112

Multus homo es, Naso, neque tecum multus homo est, qui
descendit: Naso, multus es et pathicus.

113

Consule Pompeio primum duo, Cinna, solebant
Maeciliam; facto consule nunc iterum
manserunt duo, sed creverunt milia in unum
singula. fecundum semen adulterio!

114

Firmanus saltus non falso, Mentula, dives
fertur, qui tot res in se habet egregias,
aucupium, omne genus piscis, prata, arva ferasque.
nequiquam: fructus sumptibus exuperat.
5 quare concedo sit dives, dum omnia desint;
saltum laudemus, dummodo ipse egeat.